Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
SUDORE,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

ELECT. SAX. HEREDE,

EX AUCTORITATE ET BENIGNO INDULTU

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

DN. PAULO GOTTFR. SPERLINGIO,

Med. Doct. Anatom. ac Botan. Prof. Publ. longe celeberrimo,

nec non Archiatro Principis Servestani

splendidissimo,

DOMINO AC PATRONO SUO ÆTATEM DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

GRADUM ET PRIVILEGIA

DOCTORIS

RITE OBTINENDI,

Ad d. IIX. Jul. MDCCVI.

HORIS CONSVETIS ANTE-ET POMERIDIANIS

IN AUDITORIO MAJORI,

PUBLICÆ PLACIDÆQUE PHILIATRORUM

DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOHANNNES KOCH, LIPSIENSIS.

VITEMBERGÆ, Literis CHRISTIANI GERDESII.



I.



uisquis variarum Excretionum, in Corpore humano obviarum, attendit negotia, ille fluidarum corporis noſtri partium, & inprimis purpurei laticis cauſa eas inſtitutas eſſe, & Maſſam ſanguineam ope motus ſui circularis, & inteſtini, diverſiſſimas partes, ſulphureas, ſalinas, aqueas, atque terreas, variis in locis, non uno modo, deponere, & nitorem ſuum atque conſiſtentiam debitam conſervare, deprehendit. Modo enim in anguſtiſſimis utriusque renis tubulis, abundantis & excrementitii ſeri portio craſſior, ſalino ſulphurea, ſecreta, & in veſica collecta, per urethram excernitur; Modo tenuiores Lymphæ moleculæ, magis vaporoſæ, cum aere, inter exſpirandum, a bronchis pulmonum egre-

diente avolant, nobis vix advertentibus. Nunc ſerum, præter naturam inſpiſſatum pulmonumque cellulas & bronchos infarciens, in tuſſi ſalutariter ejicitur; in aliis inteſtinorum Tubus ad ſuperfluæ lymphæ evacuationem non parum confert, de quo diarrhææ teſtantur ſpontaneæ; Multi magnam lymphæ vitioſæ quantitatem, humido præſertim cœlo, in coryza e naribus effluentem ejiciunt; Et in naturali quoque ſtatu miranda lymphæ ſubtilioris portio per corporis noſtri Peripheriam indeſinenter eliminatur, modo ſub vaporis inſenſilis ſpecie, modo largius & in guttarum forma, quæ cutis ſuperficiem irrigant, & ſudorem conſtituunt.

II.

Sudor itaque eſt, de cujus natura & uſu, tam in legitima & naturali machinæ corporeæ conſtitutione, quam in morboſo & præternaturali ejusdem ſtatu, breviſſime agere jam conſtituimus. Conſideranda vero in hoc negotio nobis eſt, tum materia, quae, in ſudore non minus ac in tranſpiratione inſenſibili, per poros cutaneos excernitur: tum organa, quæ ſeroſam illam humiditatem ſegregant & transmittunt: nec non Principium movens, quod nunc majorem, nunc minorem, ſanguinis

nis copiam in cutem & organa secretionis potest propellere.

III.

Materia, quæ per poros cutis secedit & sæpe sub guttarum forma fit conspicua, est serum sanguinis superfluum, sive pars quædam sanguinis aquosa & tenuis, particulis plus minus salinis, terreis, sulphureis, paucissimis viscosis & gelatinosis, imbuta. Hac itaque ratione multum differt a lympha nutritia puriori, moleculis sulphureo-oleosis, gelatinosis & viscidioribus temperate abundante; Item a fluido isto puriori, quod per ductus salivales in ore & faucibus, pro ciborum humectatione & in gratiam futuræ digestionis, affluit. Porro quoque distat a liquore lymphatico, qui in pancreate elaboratus, per ductum peculiarem, pro intimiori partium chyli unione, & motu ejus, per vasa lactea facilitando, duodeni cavitati infunditur. Magis vero hoc humidum excrementitium accedere videtur ad naturam liquoris istius salso-aquei, qui singulis diebus in urinaria vesica collectus, e corpore per proprium canalem proscribitur. Diversitas quidem coloris, odoris & saporis videntur contrarium svadere, quia color flavescens, odor urinosus & sapor aperte salsus, quæ lotio sunt propria, in excremento sudo-

ris desiderantur. Attamen hæc nondum sufficere devintur, ad destruendam hanc opinionem, de communi utriusque liquoris materia, cum differentia ista, ex nimiis pororum cutaneorum angustiis, & nimia glandularum miliarium teneritudine, iure deducatur. Eructare enim poros & glandulas, quando magis dilatantur, quandoque sudorem, ab urina non multum diversum, experientia testatur, qua constat, sudorem interdum urinæ odore imbutum, & in arthritide vaga scorbutica, flavescenti colore tinctum, fuisse deprehensum. Communiter etiam, qui sudoribus diffluunt, & sic multum seri dispellunt, illi minorem urinæ quantitatem excernunt, & in quibus transpiratio libera, ob poros, a frigore, aut alia causa occlusos, impeditur, illi copiosam plerumque reddunt urinam, qualia exempla passim apud Practicos reperiuntur.

VI.

Partes, quæ excremento huic seroso permiscentur, sunt variæ, imprimis salinæ, quæ in scorbuticis potissimum & hypochondriacis facili negotio, mediante sapore, cognoscuntur, imprimis, si partes magis aquosæ discutiantur, ob quam causam cutim interdum erodit & ex sordidorum indusiorum

ſiorum lixivio deſtillato, ſal volatile, juxta nonnullos, elicitur. Teſtatur inſuper, de hujus principii præſentia, inſignis ille in cute pruritus, qui in ſudoris eruptione a quibusdam obſervatur. De ſulphureis vero partibus, ſudorem conſtituentibus & per poros cutis, una cum ſeroſis exhalantibus, certiores nos facit odor gravis, qui nares ferit interdum, & nauſeam excitat, ac in graviori ſanguinis impuritate potiſſimum advertitur. Terreas vero partes manifeſtant ſordes in Cute, & mucus linteaminibus adhærens, quæ in ſcorbuticis, poſt propinata ſudorifera, imprimis conſpiciuntur. Exemplum ſudoris, terreis partibus abundantis, in Medicina, mentis & corporis, Tract. II. part. III. proſtat, ubi ſudor viri cujusdam Nobilis, cætera ſani, ſingulari ratione collectus, tertia fere parte in duram & albicantem materiam, Tartaro Vini non diſſimilem, temporis tractu, dicitur concreviſſe. Cum itaque tranſitus particulis craſſioribus ſanguinis & excrementitiis, per poros cutis, ſit concedendus, probabile omnino videtur, teneriores plurimas, etiam præter Naturam, in partibus fluidis corporis noſtri hærentes, eandem invenire viam; & ſubtiliſſimis quoque illis ſanguinis partibus, quæ in Nervis continentur, & Spirituum nomine veniunt, vias iſtas non eſſe invias,

easque

easque hic quoque, ut per papillas nerveas cutis, facili negotio in auras exhalare. Certiores enim, de jactura nobilioris hujus sanguinis partis, nos facit lassitudo corporis totius, & notabilis virium lapsus, quæ ex sudore nimio oriuntur, & in balneis, diutius protractis, atque hecticis potissimum conspiciuntur.

V.

Ex particularum autem, sudorem constituentium, diversitate, sudorum oritur differentia, aliusque limpidus, alius coloratus, flavus, viridis, ater, rubicundus & sangvineus observatur. Alius porro est insipidus, alius salsus, acidus, acris, rancidus & graveolens, atque hircum olens, qualem salacioribus communiter tribuunt; & interdum etiam frigidus, interdum calidus vel temperatus, effluit. Pendet autem hæc sudoris diversitas, a partibus diversis, excrementum hoc constituentibus, earumque varia textura & habitudine, atque Organorum, secernentium, angustia vel dilatatione.

IV.

Organa hujus liquoris secretioni inservientia, sunt pori cutis majores, & minores, atque glandulæ subcutaneæ, miliares a Figura & mole dictæ, quarum singulæ singulis poris Cutis subjacent, &

quæli-

quælibet etiam arteria, vena, nervo, & vasculo excretorio, sudorifero dicto, gaudet, ob quam caussam ad conglomeratas referuntur, quia, mediante peculiari isto ductu, humores serosi superflui, cum reliquis partibus admistis, e corpore eliminantur, insensibiliter, si parcior sit illa sequestratio, vel in sudoris forma, si liquor simul quasi & semel effluit uberius. Testatur de præsentia pororum cutis, effectus iste laudabilis, quia oculis cernimus, in abstersa cute erumpere sudorem ex poris, si largior sit excretio; & Glandulæ ipsæ quodammodo incurrunt, si pars corporis, antea bene tecta, subito frigori exponatur. Cutis enim, primo glabra & mollis, post admissum aerem frigidum, statim aspera & inæqualis evadit, qualis est superficies Cutis in ansere deplumato. Elevantur quippe monticuli a restagnatione humoris, qui antea e cute tecta, sub forma vaporis, insensibiliter evolare consveverat, & nunc circa exteriorem cutis superficiem a frigore coercetur, atque ibi colligitur. Vasculum sudoriferum, quod ex glandulis his miliaribus exsurgit, in exteriori cutis superficie desinit, & in foraminibus corporis mucosi & reticularis, quod Malpighius in parte Cutis exteriori, detecta Cuticula, observavit, continetur. An autem orificia vasculorum sudoriferorum tegan-

 tur

tur & occludantur, ex parte a pelliculis incurvis in poris cutis & ſuperficie ejus, quaſi valvulis, quas laudatus Malpighius vidit, illud quidem non facile demonſtrari poteſt; dilatari tamen interdum poros cutis, & vaſcula ſudorifera hiare in ſudore nimio, ſangvineo, arenoſo & ſabuloſo; atque contra conſtringi in defectu ſudoris, nemo facile negaverit. Arteriolæ vero capillares, quæ glandulis his miliaribus inſeruntur, humorem hunc excrementitium, vel potius, materiam ſaltim ſudoris, una cum ſangvine arterioſo advehunt, eamque glandulis his infundunt, quæ, vaſculorum ſudoriferorum ope, partes ſuperfluas, aquoſas, et impuras, ex ſangvine ſecernunt, easque ad peripheriam corporis propellunt. Poſſunt etiam ſpiritus in glandulis miſceri huic lymphæ excrementitiæ, & per vaſcula excretoria, ſudorifera æque, ac per papillas nerveas, in ſudore nimio eliminari. Fibræ enim carneæ, quas glandulis vaſculoſis communiter tribuunt, expresſioni & circulationi humorum, per teneram corpuſculorum iſtorum ſubſtantiam, favent, eamque adjuvant, & ex parte, cum pelliculis, ſupra laudatis, moderantur. Venæ vero, quæ ex glandulis miliaribus egrediuntur, ſangvinem ſuperfluum revehunt, eumque ad vaſa majora deducunt, & toti maſſæ ſangvineæ infundunt.

VII.

VII.

Horum itaque organorum habitudo, & accuratius eorum examen, nos, de ſecretionis modo, reddunt certiores, quia reliquæ etiam glandulæ conglomeratæ eodem munere funguntur, & communiter, mediante peculiari ductu, certum liquorem a maſſa ſangvinea ſecernunt. Pari itaque modo, in miliaribus glandulis, per ſimilem transcolationis ſpeciem, ſudorem e corpore effluere, arbitramur, ut non habeamus, cur Fermentum quoddam peculiare, & colliquationem aliquam maſſæ ſangvineæ fingamus, illudque in glandulis hærere admittamus.

IIX.

Cognita itaque ſudoris materia, organisque & viis detectis, neceſſe eſt, ut, non minori cura, de Principio movente & cauſis ſimus ſoliciti, quæ operationem hanc peragunt, totius corporis conſervationi, & imprimis fluidarum partium motui & purificationi, inſervientem. Sponte enim ſua, ſine ullius alterius agentis concurſu, per pororum oſtia, effluere ſudorem, nemo facile crediderit, cum reliquæ etiam ſecretiones, in corpore noſtro, ſuo impellente principio gaudeant. Fieri autem omnes operationes & digeſtiones in nobis, me-

diante motu, exinde facile poteſt judicari, quia, ceſſante ſangvinis progreſſivo atque intrinſeco motu, omnes ſecretiones in viventibus quieſcunt & ſufflaminantur. Legitimum ea propter fluidarum partium circuitum, & intrinſecam agitationem, præter convenientem ſolidarum partium figuram, huic quoque operationi inſervire, nemo facile negaverit. Mediante enim cordis contractione, & arteriarum expanſione, ſangvis arterioſus, in omnes corporis partes propulſus, ad glandulas cutis miliares quoque defertur, & ibi a novo, per novum pulſum accedente, preſſus, in venas adigitur, quoad partem vero ſeroſam excrementitiam, in ductus eorum ſudoriferos ſecedit, qui liquorem hunc, per poros cutis, in ejus ſuperficiem effundunt, ubi modo in vaporem aquoſum reſolvitur: modo in guttarum forma conſpicitur. Quo major itaque ſangvinis arterioſi copia, ad has glandulas propellitur, & quo frequentiores cordis pulſus ſunt, eo largius quoque profluit ſudor, ſi ſeroſæ partes in ſangvine abundant, & non ſunt viſcidæ, atque viæ ſufficienter patent.

IX.

Hunc vero ſangvinis circulum, præter ſtructuram cordis muſculoſam, & fibras ejus ſpirales,

atque

atque intrinſecum particularum, imprimis magis mobilium, aerearum, ac ſulphurearum appulſum, promovet non parum ſubtilior illa ſangvinis pars, quæ in cerebri corticali parte ſecernitur, & ſpirituum animalium, vel lymphæ nervorum, nomine venditatur. Hi ſpiritus animales, per plexum cardiacum a pari vago, & intercoſtalium ramos, jugiter in ipſam cordis ſubſtantiam influunt, & ejus motum in naturali ſtatu promovent, & quo magis alacres & vegeti ſunt, eo magis, juxta naturæ leges, partes ſeroſæ ſuperfluæ e corpore eliminantur. Ubi vero motus lymphæ hujus ſpirituoſæ ad cordis ſubſtantiam eſt nimius, vel imminutus, ibi quoque circulus ſangvinis vitium capit, & ſudor, vel in nimia quantitate propellitur, vel plane deficit aut imminuitur. Interdum tamen a motu hoc ſpirituum nimio, ſangvinis motus progresſivus & intrinſecus exagitantur nimium, & vaſa extenduntur, quod in continuis & intermittentium paroxiſmis, potisſimum in ſtatu, quandoque fit; & tunc a vaſis intumeſcentibus tenera vaſcula ſudorifera glandularum miliarium, ob nimiam cutis expanſionem, & pellicularum, orificia tubulorum tegentium, tenſionem, clauduntur, & lymphæ ſuperfluæ tranſitus, per poros cutis, evadit difficilior. Non minus in Syncope copioſe ſatis pro-

 fluit

fluit ſudor, etiamſi lympha nervorum ab operatione ſua ceſſet, & partes rubicundæ ſangvinis ad grumeſcentiam & quietem inclinent, quia fibræ nerveæ cutis, in hoc affectu, & pori cutis, cum pelliculis ſuis, nimium laxantur, & lymphæ, a cruore ſecedenti, tranſitum liberum concedunt. Ob ſimilem forte rationem, ſudor quandoque in demortuis profluxiſſe, fuit obſervatus, quale quid in paſtore quodam, quarto poſt obitum die, contigiſſe, Ephemerides germanorum annotarunt. Quia tamen fluidæ hæ partes corporis noſtri, lympha nervorum, atque maſſa ſangvinea, quodammodo ſunt partes continuæ, & ſe invicem premunt, ideo forte cujuslibet motus, motum alterius moderatur, & interdum ſangvis Spiritus nimium exagitat, vel motum eorum tardiorem reddit aut ſufflaminat; interdum vero ſpiritus ſangvinis circulum ſimili modo turbant, in naturali ſua agitatione.

X.

Imo ipſa Anima noſtra, inter Cauſas Sudoris, locum videtur invenire, quia, ex unionis lege cum corpore, motus Spirituum percipit, & eos quoque pro lubitu commovet, ob quam rationem Fanatici, ſola cogitatione, ſudores copioſiſſimos

in

in corporibus ſuis ſibi, pro lubitu, poſſunt prolicere. Sicuti vero animi motus; ita quoque corporis & membrorum agitatio tranſpirationi inſerviunt, & qui in illis excedunt, quod in gravioribus laboribus obſervamus, Sudoribus tantum non diffluunt, quia a motu partium ſolidarum corporis noſtri, fluidæ facili negotio exagitantur. Inprimis in acclivium locorum aſcenſu, & graviorum ponderum geſtatione, ſi diutius continuetur labor, imo in quovis motu, qui cum majori labore conjungitur, largius profluit ſudor, ob majorem partium fluidarum exagitationem. In his tamen excretionibus, quæ in corporis peripheria fiunt, ſemper ad diſpoſitionem lymphæ totius eſt reſpiciendum, quæ, quo magis copioſa & fluidior, & acris eſt, eo promtius profluit, & cauſis antecedentibus obſecundat; quo magis vero deficit ac lenta eſt, vel partibus acidis, auſteris, & adſtringentibus ſcatet, eo minus ad motum eſt diſpoſita, adeo ut interdum etiam fortiora ſudorifera, in talibus ſubjectis, fruſtra exhibeantur.

XI.

Ob imperium animæ, in ſpiritus animales & humores corporis, oritur quoque ſudor in quibusdam AFFECTIBUS animi, & inprimis in angore

gore

gore animi, qui forte Fanaticorum, modo adductorum, modus eſt, ſudorem cum tremore artuum proliciendi; idem in pudore, & timore videmus, & in illis, qui gravioribus curis ſunt diſtricti, atque in iracundis, & quandoque etiam in gravioribus doloribus, qui affectus animi omnes, pro majori, vel minori, lymphæ diſpoſitione ad motum, & aeris circumiacentis rarefactione, vel craſſitie operantur. Qualis vero fuerit ſudor ille ſangvineus ſanctiſſimi Salvatoris noſtri, nunquam alioquin forte in homine, inprimis ſano, notatus, in quo, ob largam ſangvinis profuſionem, grumi ſangvinis in terram decidebant, vix poſſumus determinare. De ſummo animæ angore querebatur ipſe Dominus, & potuit affectus ille, in quo ob iram patris, usque ad mortem, ſupra humanum morem triſtabatur, mire & plus, quam in naturalibus fieri ſolet, turbaſſe circulum ſanctisſimi ſangvinis; videatur tamen nihilominus inſuper, in iſta lucta cum morte æterna, crudeliſſimæ cujusdam mortis etiam æternæ ſpeciem, nobis inexplicabilem, ſuſtinuiſſe. Sudor vero ſangvineus illius ægri, cujus Heerius Obſerv. 24. p. 270. meminit, quique cum pediculis rubicundis erat conjunctus, a ſcorbuto & majori humorum corruptione ſalibusque copioſis, eſt deducendus.

XII. In-

XII.

Inter Cauſas externas numerandus eſt Aer ambiens, qui, quo magis tenuis, rarus, & calidus eſt, eo magis poros Cutis aperit, & reſpiratione attractus, Circulum ſangvinis citatiorem reddit, & hoc modo ſangvinem arterioſum, in majori copia, ad glandulas miliares propellit, qui lympham ſuperfluam ad vaſa excretoria ſudorifera protrudit. Æſtate itaque, & in Balneis, ſine aſſumto diaphoretico, ſponte & largius profluit ſudor, cum contra, hyberno tempore, & Aeris tempeſtate exiſtente nebuloſa, difficilius ſudorem proliciamus. Perinde vero eſt in balneis, quocunque modo Aeris ambientis conſtitutionem ad ſudorem provocandum diſponas, ſive fiat in domunculo, mediante Spiritu Vini accenſo, aut vapore aquæ ferventis, & ſilicibus ignitis; ſive in conclavi ſpatioſo, Calore fornacis, & aqua Calida, modo ſufficienter aer ambiens calefiat. Idem faciunt Thermæ, & ſtragula, quæ effluvia exhalantia detinent, & coacervant, &, mediantibus iis, aerem ambientem calefaciunt; hæc, ubi reſpiratione iterum attrahuntur, circulum ſangvinis citatiorem reddunt; & citiorem Effectum pollicentur. Ob ſimilem vim, commovendi ſangvinem, omnia Calida, largius aſſumta, etiam juſcu-

la, potus Theæ, &, quæ virtute calefaciendi gaudent, ut vinum generosum, sudorem in dispositis facili negotio eliciunt.

XIII.

Non minus Medicamenta, inter externas Caussas, locum inveniunt, inprimis Spirituosa, & sale volatili copioso pollentia, atque sulphurea, quæ ob effectum, quem edunt, sudorifera nominantur. Operantur hæc medicamenta potissimum, ob vim suam absorbentem, incidentem, & attenuantem, mediante qua lympham in sangvine fluxilem reddunt, partes acidas absorbent, & eas incidendo commovent, atque ad evacuationem disponunt. Resolvunt etiam ipsam massam sangvineam, & eius circulum promovent, atque lympham nervorum excitant, & serosas magis sangvinis partes fundunt, & liquant, atque ad corporis ambitum propellunt. Faciunt vero hoc, non tantum salia volatilia, sed & fixa, alcalia, & absorbentia plurima alcalina, atque, ex regno vegetabili, multa amara, odorata, quorum plurima sale volatili una abundant, & bezoardicis annumerantur. Talia sunt, radix angelicæ, carlinæ, zedoariæ, valerianæ, enulæ, &c. et, quæ ex his conficiuntur, Tincturæ & essentiæ. Inter

volatilia

volatilia primo loco nominanda est camphora, quæ partibus sulphureis purioribus, & salinis volatilibus copiosis abundat, item salvolatile cornucervi, viperarum, urinæ, fuliginis; spiritus salis ammoniaci, cornu cervi, urinæ, fuliginis, salia volatilia oleosa, spiritus bezoardicus Bussii, liquor cornu cervi succinatus, sal volatile succini, & inde composita. Similem edunt effectum antiscorbutica plurima, ob sal volatile suum acre, qualia sunt, cochlearia, nasturtium, Raphanus rusticanus, fumaria, hepatica nobilis, semen sinapios, radix Ari, & ipsa Ligna, sanctum, santalum, Sassafras, Sarsaparillæ radix &c. Inter fixa alcalia primo loco sunt nominanda, Sal Fumariæ, Cardui benedicti, Absinthii; Centaurii minoris &c. quæ acidum, in primis viis & Massa sangvinea, quod humorum motum remoratur, absorbendo, circuitum sangvinis restituunt. Idem faciunt absorbentia Alcalina, quorum aliqua Sale volatili copioso pollent, & terrea quoque, & cinnabarina. Talia sunt Cornu Cervi Philosophicum, Lapides Cancrorum, Ebur sine igne, Cranium humanum præparatum, Unicornu animale, ungula alcis, & plurimorum animalium cornua, ossa, atque ungulæ, item corallia, perlæ, mater perlarum, terra sigillata, lemnia, bolus armena; cinnabaris nativa, & antimo-

 nii,

nii, lapis bezoar, pulveres bezoardici, Sennerti & aliorum, epilepticus, marchionis, Pannonicus ruber, ſpecificum Cephalicum Michaelis, & opiata rite parata, cum laudatis mixta; quæ omnia in diſpoſitis, ſi aer externus ambiens rite ſit temperatus, in caſu neceſſitatis faciunt officium.

XIV.

Hæc Medicamenta ſicuti Sapientisſimus Conditor, non fruſtra, ſed in ſolatium humanæ miſeriæ, creavit; ita organa quoque excretoria illa, per quæ ſudor profluit, eum in finem formavit, ut plurimorum morborum ſemina, per hæc cutis ſpiracula, nobis vix advertentibus, & ſine gravi moleſtia, poſſint exhalare. Magnum enim ſudor vitæ & ſanitatis eſt præſidium, in omni abundantia ſeri ſuperflui, ejusque impuri, & excrementitii, quod ſolo ſæpe corporis & membrorum decenti motu ſequeſtratur. Nec tantum lymphæ vitia corrigit, ſed & recrementa ſalina & ſulphurea, quæ ſangvinis maſſam inquinant, & in motu turbant, lymphamque nervorum ad actiones naturales peragendas idoneam reddunt, imminuit, & a ſangvinis commercio excludit. Dicata etiam ſunt ſudorifera viſcidæ, lymphæ & ſangvinis, conſtitutioni, quo nomine in multis morbis chronicis locum

habent,

habent, modo ſerum non nimium in toto deſideretur, & vires conſentiant. Inprimis errores, circa cibi & potus quantitatem commiſſos, egregie emendant, expellendo & abſumendo partes ſuperfluas, & hoc ipſo obſtructiones præcavent, & circulum ſangvinis cuſtodiunt. Conſervant itaque non tantum valetudinem integram, ſed & morbis labefactatam ſæpe reſtituunt, & quodammodo inter remedia univerſalia ſunt referenda. Turbatam etiam ſangvinis mixtionem reſtituunt, ut ſine illis vix curentur continuæ, inflammationes, & dolores graviores, inprimis arthriticorum, ut & tumores, ob quam rationem Mechanici, & qui in agricultura ſe exercent, communiter non adeo frequenter affectibus nominatis, ac Eruditi, &, qui vita ſedentaria delectantur, corripiuntur. Quicunque igitur hæc, & plura alia mala vitare cupiunt, & inprimis a Corpulentia nimia ſibi metuunt, & catharrhis laborant, vel Cachexia, aut Hydrope, illi tranſpirationem liberam & ſudores non negligant, potiſſimum, ſi ſint plethorici, qnia plurima humorum vitia his ipſis corriguntur, & ipſius Animæ operationes ab iisdem exaltantur. Quia enim corporeis vinculis immerſa jacet illa divinæ auræ particula & cogitans ſubſtantia, ideo non, niſi partibus cor-

 poris

poris nostri, potissimum fluidis, rite dispositis, recte operatur. Quo magis igitur nitidæ, puriores, & ad naturalem motum eædem sunt idoneæ, eo liberius earundem motum percipit, & eo promtius lympha nervorum ejusdem mandatis & motionibus obsecundat; ipse itaque ingenii vigor ab his excretionibus ex parte pendet, modo pro ratione totius sint moderatæ, quia omne nimium naturæ est inimicum.

§. XV.

Qui enim nimium sudoribus diffluunt, quod a pororum cutis nimia dilatatione, & lymphæ totius acrimonia, ac nimia mobilitate oritur, illi partes nutritias quoque excernunt, ex quo sudores colliquativi exsurgunt, qui Hecticam & Marasmum inducunt, potissimum in ficcioribus, & tenerioribus. Molesti hi ipsi communiter sunt phthisicis, & vires mire imminuunt, atque in continuis quoque si excedunt, non carent periculo, licet in madore & moderato sudore consistat salus eorum, qui cum febribus continuis, malignis, & ipsa peste conflictantur. Non itaque sæpius exhibeantur sudorifera, nisi ubi nimium abundat serum; non repetantur nimium, imprimis magis activa; non protrahatur diutius sudor ad plures horas, quod olim faciebant; cum sanguis inde nimium inspissetur, & robusti ac bene sani, ab excessu harum, quandoque syncope corripiantur, & scorbutici evadant, atque virium magnam jacturam patiantur. Ad colliquativos sudores re-

referendi quoque sunt, sanguinei, purpurei & omnes, qui cum magno virium lapsu conjunguntur, unde in horum curatione, eodem fere modo est procedendum, ut terrea cum absorbentibus, temperatis & leniter adstringentibus atque gelatinosis exhibeantur. Reliqua sudorum vitia, ubi ratione coloris, odoris & consistentiæ a statu naturali recedunt, & modo flavus, modo coeruleus, ater & viridis fuit observatus, qualem Borellus quoque vidit Cent. II. obs. 56. modo fœtidus, arenosus & verminosus effluxit, ut plurimum antiscorbuticis & sanguinem purificantibus, amaris etiam & absorbentibus, atque decoctis lignorum corriguntur, & nunquam temere sunt sistendi, nisi ea, quæ causam eliminant, sufficienter fuerint propinata. Probe etiam in Praxi est observandum, quod pestis tempore sudorifera præservandi fine non habeant locum, quia, juxta Diemerbrœckium, qui pestis tempore sudant, & Aëri libero se exponunt, utplurimum celerrime peste corripiuntur. Ob poros enim, tunc magis patentes, malum publicum, in Aere hærens, facile intra corpus recipitur, & sanos humores inquinat, potissimum, quia vires simul imminuntur.

XVI.

Sicuti vero nocent sudores, si excedunt, vel non in tempore proliciuntur; ita quoque eorum defectus, &, si sudorifera plane omittuntur, præ aliis nocet, in Cachexia, hydrope, & plurimis tumoribus serosis, qui non facile, sine hac excretione, extirpantur. Quia vero in his affectibus difficilius fluit sudor, ob spasmodicam pororum Cutis & tubulorum sudoriferorum

con-

contractionem, & Lymphæ excrementitiæ lentorem, ideo ibi magis activa, salia volatilia & fixa, sunt exhibenda, & in largiori dosi propinanda, sæpiusque repetenda.

XVII.

Monendi etiam sunt ægri, & omnes, qui sudoriferis utuntur, ut non statim, post sudorem, corpus aeri liberiori, potissimum frigido, objiciant, aut, inter sudandum, potum, inprimis frigidum, largius assumant, vel alimenta, statim post sudorem, ingurgitent. Turbant enim hi errores circulum sanguinis, & Febres continuas, atque pleuritidem, excitant, & utplurimum in detrimentum Oeconomiæ animalis instituuntur.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

